Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8321
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

sionem suam imminere. exemplum pie consummationis et sane doctrine
in sancto timotheo vult relinquere ut per traducem nunquam deessent
doctores idonei. Passionem tamen suam delibationem appellat. deo enim
immolatur. quia pro iusticia eius patitur. Bonum certamen certavi. cursum consum-
mavi. fidem servavi. de reliquo reposita est michi corona iusticie. quam red-
det michi dominus in illum diem iustus iudex. non solum autem michi. sed et his qui diligunt
adventum eius. Omnia que supra et ceteris utilia et prospera esse noverit servasse me-
morat. non solum autem libris sed in operibus formam se prebuit audientibus ut auc-
tori suo veritate predicationis. fidelis dispensator existeret et contra
mundi principes et potestates. omni sollicitudine. et pericula colluctatur.
exemplum quomodo vincerent relinqueret. et ut inviolata doctrina.
et agonis legitimum certamen dignos illos faceret coronari. quia deus
iudex iustus. dabat amplissima premia diligentibus se. expectantibus si

FRatres. Deus personam hominis non accipit. Galathas. Tuum ei de celis.
hoc significat quia apostoli priores homines simplices erant et imperiti.
nulli dignitatis in lege. Sed hoc non obest. Quis enim accusat eum quem deus
excusat. Quia non querit qualis quis fuerit. sed quid sit. Preterita enim nec con-
dempnant nec vindicant. sed tamen vult intelligi. quia petrus erat in lege
et clarus vita. ac per hoc et dispensatione evangelii percipuus minister.
Michi autem qui estimantur aliquid esse nichil contulerunt. Nichil se dicit ab apostolis con-
secutum. sed a deo. quia qui imperitis tribuit sensum discipline christiane. ipse et michi
in legem cum essem legis peritus dignatus est impertiri sensum orationis huius modi.
Quomodo ergo fieri poterat hunc ab his discere. quem peritum esse invenerit
peritiorem fecit gratia dei. Sed econtra cum vidissent quia creditum est michi
evangelium preputii. sicut petro circumcisionis. operatus est et michi inter gentes.
Petrum solum nominat. et sibi comparat. quia primatum ipse accepit ad
fundandam ecclesiam. se quoque pari modo electum. ut primatum habeat in
fundandis gentium ecclesiis. Ita tamen ut petrus gentibus predicaret si
causa fecisset. et paulus iudeis. Nam uterque invenitur utrumque fecisse.
Sed tamen plena auctoritas petri in iudaismi predicatione nudata dino-
scitur. et pauli perfecta auctoritas in predicatione gentium inve-
nitur. Unde et magistrum se vocat in fide et veritate. Unusquisque
enim in prioribus suis. et dispensatione sortitus est. Difficilis enim fuit eos
qui longe erant a deo ad fidem suam detrahere. quam peritos et scien-
tes gratiam que data est michi. Petrus et iacobus et iohannes. qui videbantur esse